



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

333. Quænam regulæ de infirmis Resignantibus origo, & causa, seu ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Questio 333. Quenam hujus regula origo & causa, seu ratio?

Respondeo primò: Hanc regulam originem suam habuisse, seu editam primò fuisse à Bonifacio 8. testatur Paris. l. 12. in *prefat. n. 2.* Azor. p. 2. l. 7. c. 28. ad initium: quam deinceps alii pontifices innovarunt & auctiorem fecerunt, addendo hinc inde aliqua, prout accuratè videre est apud Paris. loc. cit. à n. 3.

2. Respondeo secundò: Emanasse hanc regulam ob duas præcipuè causas, nimirum primò, ad obviandum fraudibus; ne scilicet per istiusmodi ab infirmis factas resignationes procuratas fraudentur Ordinarii à collatione ipsis cõperente, expectantes seu habentes expectativam, mandatarii nominati excludantur à suis juribus per expectativam vel nominationem quasitis; dum scilicet his omnibus per tales resignationes præcluditur via ad beneficia, quæ alias per obitum vacatura essent assecuturi. Paris. l. 12. q. 1. n. 1. Azor. loc. cit. q. 1. Gloss. Antiq. apud Chok. ad hanc. reg. num. 1. Pirh. ad tit. de renunc. n. 30. Et hanc primam rationem extractam esse, & spiritum recipere ex c. 2. de renunc. in 6. citatis pluribus contra Mandos. ostendit Paris. loc. cit. à n. 3. Secundò: ad obviandum successioni quasi hæreditariæ in beneficiis, ne scilicet de beneficiis disponatur per viam successionis, seu modum ultimæ voluntatis, sicut de hæreditate, seu de bonis patrimonialibus. Auctores iidem *loc. cit.* His binis rationibus tertiam addit Paris. n. 25. consideratam à Rota in *Majoricens. Parochialis. 27. Martii. 1549.* ne scilicet infirmus cogitatione mortis turbatus non valens rectè considerare de persona idonea Ecclesiæ, amicorum & consanguineorum blandimentis & suggestionibus permotus de hoc statuatur, ac sic præjudicet Ecclesiæ & beneficio resignato, quemadmodum ex hoc capite prætextu erroris & insufficientiæ suæ Julius 2. in articulo mortis, etiam instantissimè rogatus recusavit creare aliquem cardinalem de domo sua, ut ex Guicciardino. l. 11. *Historiar.* Paris. loc. cit. n. 26. Quartam denique n. 29. subjungit ex Cravett. *conf. 88. n. 12.* quia ex tali resignatione imminet votum captanda mortis.

Questio 334. An regula hac favorabilis, an odiosa?

Respondeo: Regulam hanc à jure communi exorbitantem, utpote quo aliàs morti vicinis permittitur facultas celebrandi actus legitimos, puta testandi, donandi, contrahendi &c. & hinc odiosam censent Mandos. ad hanc. reg. q. 1. n. 4. Decius. *conf. 224.* Sarn. ad hanc. reg. q. 9. & 13. Gamb. de off. & pot. leg. l. 6. tit. de pens. q. 24. nu. 634. & alii plures apud Paris. l. 12. q. 2. à num. 1. pro quibus insuper facit, quòd regula Cancell. sint stricti juris, ut Sarn. in *proem. ad has regulas nu. 4.* C. Paris. *conf. 19. n. 3. vol. 4.* apud Paris. n. 8. Et quia annullat omnes actus, quæ dici potest pœna, ut Abb. in c. 2. de *constit. n. 5.* & alii apud Paris. n. 7. Et quia facultas conferendi competens Ordinario, quæ favorabilis censetur, impeditur; & quia taxat certum tempus. &c. Contrarium tamen tanquam verius, nimirum esse hanc regulam juri communi conformem, utpote damnanti & vetanti, c. 1. de *preb. c. ad extirpandas. c. duorum. de filiis presbyt.* Similem in beneficiis quasi hæreditario jure successione, tradunt Paris. cit. q. 2. n. 9. citato Rebuff. ad hanc. reg.

gl. 4. n. 9. &c. ed quòd emanavit ad tollendas fraudes; dispositio autem occurrens fraudibus dicitur favorabilis. Paris. num. 10. & 11. ex Felin. in c. de quarta. de *prescriptio. Caputaq. decis. 15. nu. 7. p. 2.* Quemadmodum ideo constitutio de publicandis resignationibus dicitur favorabilis. Paris. n. 19. ex Caputaq. Item quæ ad publicam hominum utilitatem emanarunt, dicuntur favorabilia, ut Decius in c. *Ecclesia S. Mariae, de constitut.* Paris. n. 16. Item emanata ad vitanda peccata, & consulendum animæ, dicuntur favorabilia, & sunt extendenda, ut gl. in c. *sciant. de Elect. in 6. v. alios.* Paris. nu. 17. Nec obstat, quòd respectu ordinariorum collatorum sit odiosa; nam præterquam, quòd absurdum non sit, eandem dispositionem esse favorabilem & odiosam diversis respectibus, Chok. ad hanc. reg. n. 41. Paris. cit. q. 2. nu. 24. citans Bald. Decium, Curtium Jun. ad considerandum, num dispositio dicenda sit simpliciter odiosa, an favorabilis, id attendendum, quòd principaliter in ea agitur. Paris. n. 23. ex Calderin. de *verbor. signif. conf. n. 14.* Sic senatus consulum Vellejanum favorabile æstimatur, quia principaliter introductum in favorem fœminarum; licet odium & damnum inferat his, qui eas pro intercessoribus accipiunt. Paris. n. 26. ex Calderin. loc. cit. sic statutum, quòd masculi excludant fœminas; quia principaliter emanavit in favorem masculorum, & pro conservandis bonis in familia; licet contineat odium fœminarum, dicitur favorabile, attentà nimirum, ut debet, ratione principali. Paris. n. 22. jam verò regula hæc emanavit principaliter ad tollendas fraudes. Sed nec obstat, quòd regula Cancell. sint stricti juris, id enim procedit, quatenus sunt contra jus, ut Sarn. in *proem. q. 2.* Paris. n. 28. regula autem hæc non est contra jus, ut dictum; quòd enim alii actus legitimi sint liciti infirmis, id in jure exprimitur expressis casibus, contrarium autem disponit de beneficiorum resignationibus. Paris. n. 22.

Questio 335. In quibus beneficiis hac regula locum habeat?

Respondeo primò in genere: comprehèdi sub hac regula omnia beneficia, ut colligitur ex illis verbis: *Si quis aliquod beneficium.* Paris. l. 12. q. 3. n. 1. Chok. ad hanc. reg. n. 19. Tond. in *qq. benef. p. 3. c. 169. n. 22.* Castrop. de *benef. d. 6. p. 2. §. 3. n. 8.*

2. Respondeo secundò in particulari: Comprehenduntur itaque primò tam simplicia quàm curata & dignitates. Paris. cit. q. 3. n. 2. citans Rebuff. ad hanc. reg. gl. 5.

3. Secundò: tam sœcularia quàm regularia. Paris. *ibidem n. 5.* Rebuff. *ubi antè.* Chok. n. 19. citans Germon. de *indult. Cardinal. §. regularia. n. 33.* Tond. n. 24.

4. Tertio: Hospitale, altare, Capella, oratorium. Paris. n. 5. & 6. cum, si hæc dentur in titulum, sint beneficia. Paris. cit. n. 6. citatis pluribus; & verbum, quo utitur regula, est generale completens omne genus beneficiorum, Paris. num. 4. ex Cravett. *conf. 294. n. 1.*

5. Quarto: Præceptoriam. Tond. loc. cit. n. 23. sub hac tamen limitatione; si sint perpetuæ, datæ in titulum perpetui beneficii, aliàs secus. Mandos. ad hanc. reg. q. 20. ubi, licet id affirmat sub eadem jam dicta limitatione, postea tamen teste Chok. n. 19. indistinctè vult, ejusmodi resignationes Præceptoriarum, quæ sunt in Curia, cadere sub dispositione hujus regula, uti & id sine dicta limitatione,